

prædicata quidditativa etiam potest præscindi unum ab alio respectu cognitionis inadæquatæ, et imperfectæ quod in cognitione rei creatæ semper locum habet; et sic potest abstractione cognoscere suam substantiam sine existentia, utendo illa, ut specie inadæquata.

Ad confirmationem respondetur nos non dicere quod substantia Angeli in quantum species, et objectum intelligibile, sit solum assistens et non intime conjuncta ipsi intellectui, eumque informans, et actus, sed diversimode quam objectum extrinsecum, seu species accidentalis superveniens, quia substantia ipsa informat per identitatem ipsum intellectum radicalem qui est ipsamet essentia, seu natura Angeli, ut radix est potentia intellectiva, quæ est accidens, et ex tali identificatione quatenus eadem substantia, quæ radix est potentia intelligendi intime est etiam objectum intelligibile subsistens, redditur per emanationem ab ipsa intellectus ipse determinatus, et completus intelligibiliter, sicut redditur intellectivus, et elicivus proxime, eo quod ab utraque ratione, et objectiva, et subjectiva substantiæ Angeli emanat; et sic determinatus ab ipsa in ratione objecti manet, et procedit ad eliciendam cognitionem sui, ut declaratum est. Calor autem si esset subsistens extra lignum, licet esset assistens extrinsece, non esset ei ratio calefaciendi, sed per se seorsum calefaceret. Si autem esset subsistens, et identificatus ligno, sic esset ipsi ligno ratio, et principium calefaciendi, sicut nunc species Angeli seu substantia ut intelligibilis est subsistens per identificationem ipsi intelligenti, et intellectui ipsi in sua radice identificatus, ut optime Cajetanus dicit quæstione sequenti lvi, articulo primo.

ARTICULUS III.

Utrum respectu aliorum objectorum habeat Angelus species infusas, vel acquisitas?

Circa objecta extra se, quæ Angelus intelligit, duplex difficultas circa eorum species consurgit.

Prima, an dentur species accidentales distinctæ ab ejus substantia, et intellectu in mente Angeli, quibus informetur ad eliciendam cognitionem circa objecta extra se.

Secunda, an tales species si dantur, sint a Deo infusæ, vel ab essentia, et intellectu Angeli emanantes, vel ab objectis exceptæ, media aliqua vi eas hauriente, et depurante, ita quod ad hoc sit in Angelo virtus, seu potentia aliqua sicut intellectus agens.

ANGELUS INDIGET SPECIEBUS SUPER-ADDITIS, IDQUE EFFICACITER PROBATUR A D. THOMA.

I. Fuisse aliquos auctores qui negaverunt requiri species intentionales ad eliciendam, pariendamque notitiam a potentia, diximus in libris de Anima q. vi, art. ii. Specialiter Angelis eas negaverunt Durandus in ii, dist. iii, q. vi, n. xvii et sequentibus, Gabriel, Ocham, Basolis, Gregorius quos citat Vasquez hic disp. cc, c. i. Et Durandus quidem exclusit speciem, quæ est similitudo, quia similitudinem existimat petere identitatem specificam, seu convenientiam naturæ, cum eo cuius similitudo est, quæ utique non intercedit inter illam qualitatem intentionalem, et objectum ad extra, v. g. Petrus in se, et species intentionalis ejus non conveniunt entitative, et realiter; et sic unum non est

realis similitudo alterius quia non est entitative ejusdem rationis. Gabriel autem putat sufficere objectum ad extra propositum simul cum potentia ut ad illud cognitio feratur. Sed quia contingit sæpe intelligi objectum quod non est præsens, et sic intuitive non attingitur, sed abstractivè, addunt Ocham, Gabriel et Gregorius fieri illam abstractivam cognitionem, non a specie, quæ sit similitudo superaddita, sed ab habitu, seu determinatione aliqua relicta ex notitia intuitiva.

II. At vero p. Vasquez loco citato cap. iii et postea disp. cciv, cap. ii existimat non esse aliquam rationem quæ convincat Angelos habere species superadditas, ut cognoscant alia objecta extra se: posset enim aliquis dicere quod potentia intellectiva Angeli determinatur ab objectivo extrinseco, non autem esse necessariam formam intrinsicam loco objecti in Angelo: nam proprium est facultatum cognoscentium, et appetentium, ut determinantur ab objectis, non efficienter, sed peculiari modo concurrentibus ad operationem, sed facultas appetens determinatur ab objecto existente in cognitione; intellectus vero ab objecto exterius existente secundum illud esse præteritum, præsens, aut futurum quod accommodatum est intellectui: nam eo ipso quod est intra latitudinem intellectus, potest ab eo determinari. Ponere autem species in Angelis difficultate non caret, quia vel sunt acquisitæ a rebus, cujus contrarium docet D. Thomas et nos statim probabimus contra Scotum, vel sunt infusæ a Deo, et non debitæ ipsi naturæ angelicæ; et sic erunt supernaturales, utpote a solo Deo factibiles, et ipsi naturæ non debitæ, possetque Deus eas denegare, nulla violentia facta naturæ, sicque naturaliter, et sine violentia posset manere Angelus

absque ulla cognitione. Vel sunt species debitæ ipsi naturæ, et ortæ ex principiis ejus, et hoc stare non potest, cum species intellectus Angeli determinatæ non sint ex natura rei: nam vel habet species omnium possibilem, et hoc est infinitum, et soli Deo notum, vel eorum solum quæ Deus creat, aut creare voluerit, et hoc non est determinatum ex natura rei, sed ex libera Dei voluntate; non dimanat autem a natura tamquam passio, nisi quod determinatum est a natura.

III. Dicendum nihilominus est, Angelum indigere speciebus accidentalibus superadditis ad cognoscenda alia objecta extra se, idque efficaciter convinci non minus in Angelis, quam in nobis. Et quidem hæc indigentia specierum vel probanda, et convincenda est pro omnibus potentiis cognoscitivis generaliter tam in Angelis quam in nobis, vel quia et si concedatur in nobis, negatur tamen in Angelis, sicut facit Vasquez. De primo non est in præsentia agendum; sed in libris de anima late a nobis ostensum est quæst. vi, art. ii et iii necessario requiri istas species ad formandam cognitionem, quia hæc est natura facultatis cognoscitivæ, quod requirat concursum objecti ad suum actum, non quomodocumque, sed intra se apprehendendo, et habendo illud. Unde hæc est communis omnium conceptio distingui potentiam cognoscentem ab appetente, quod illa trahit res ad se, ista vero fertur ad res extra, quia appetitus fertur pondere ad sua subjecta, intellectus vero similitudine. Unde intra se format similitudines et ideas, et representationes rerum, ut quotidiana experientia videmus, et ille melius intelligit, qui similitudines, et imagines rerum vivaciores format et rebus ipsis conformiores. Quare potentia cognoscitiva ex vi sua, et

propria, atque essentiali ratione, assimilativa est, seu formativa similitudinum, et trahens objecta ad se per apprehensionem, quod certe trahi non potest nisi secundum aliquam repræsentationem seu similitudinem, et esse intentionale : nam in proprio, et entitativo esse constat non posse intrare objecta exteriora intra mentem, eique uniri, et casu quo possent, illa unio magis esset destructiva entitatis intellectus, et constructiva alterius tertiæ, non autem deserviret cognitioni, præsertim intellectuali, quæ fit secundum esse immateriale, et a conditionibus materialibus abstractum : nec enim objecta uniuntur potentiæ, ut cum illa component tertiam aliquam entitatem, sed ut potentia objectum illud apprehendat, et in totum quod est in objecto penetret, et ingrediat cognoscendo; et sic cognoscitive cognoscens fit cognitum, et unum atque idem repræsentative cum objecto, quod non est aliud quam ex objecto, et potentia non fieri unam tertiam entitatem compositam : (nec enim ad entitatem componendam ordinatur cognitio) sed ipsam potentiam apprehensive, et repræsentative assimilari, et uniri rei cognitæ, et hoc uniri sine compositione entitatis tertiæ vocamus unum fieri. Et præsertim Vasquez convincitur has species ponere in sensibus internis, et in intellectu humano ipsis alligato, quia multa cognoscimus in absentia objectorum, et de his quæ non sunt, quod utique fieri non potest, nisi aliqua similitudo impressa in nobis remaneat : de his enim quæ nunquam videmus, non possumus sic formare similitudinem; signum ergo est dari in nobis hujusmodi species. Constat autem intellectum separatum sive Angeli sive animæ recordari rerum absentium vel præteritarum : nam animæ divitis dam-

nati dictum est, Luc. xvi : *Recordare fili quod recepisti bona in vita tua;* et ipse quinque fratrum, quos in mundo reliquerat, recordabatur. Angeli similiter præterita cognoscunt, et futura divinant, non solum boni Angeli, qui ea possunt videre in Verbo, sed etiam dæmones, qui naturali sua virtute multa ex his penetrant, et conjectant, hominibusque sive falso, sive vere annuntiant, quod utique sine apprehensione non possunt : ergo neque sine specie. Quomodo enim talia objecta ipsis præsentia sunt, nisi in aliqua similitudine repræsentante? Aut si id convincit in sensibus internis, et intellectu nostro, cur non in spiritu separato? Dicere enim quod sufficit objectum esse intra latitudinem objecti intellectus, sunt meræ nugæ. Nam intra latitudinem objecti intellectus est omne ens, seu omne intelligibile, ad quodcumque enim objectum potest extendi potentia intellectiva. Non autem sufficit aliquid in se esse intelligibile, seu ens, ut statim intelligatur ab Angelo, alioquin quodcumque possibile posset nunc intelligere prout vellet, quia quodcumque possibile est intra latitudinem objecti intellectus, præsertim si sit possibile ordinis naturæ. Quare ergo non intelligit illa, sed solum hæc determinata, si sufficit contineri intra latitudinem objecti, nec requiruntur species? Dicere vero quod remanet aliquis habitus vel determinatio ex intuitiva cognitione, futile omnino est, et sine fundamento : quid enim est ille habitus, vel determinatio, si repræsentatio non est? Si enim habet effectum repræsentationis, scilicet rem præteritam vel absentem reddere intellectui præsentem, cur repræsentatio non erit? Aut quod est fundamentum ad ponendum habitum sine repræsentatione, et negare repræsentationem ex cognitio-

ne intuitiva relictam? Cum habitus sine repræsentatione solum se habeat ut virtus elicitive, ad faciendum vero objectum præsens, seu præsentatum potentiæ, non deserviat.

IV. Ex his manifeste deducitur, auctores oppositos, et Vasquez omnino carere sufficienti ratione ad impugnandum, seu negandum Angelo istas species; eas vero firmo fundamento a D. Thoma poni, et a communi theologorum philosophorumque consensu : licet enim aliquas difficultates habeat explicatio harum specierum, numquid propterea fundamento caret? Si quidquid difficile explicatur, et difficultates habet, negandum est, aut fundamento evacuandum, quid reliquum erit quod sciatur, et evolvatur a scientis. Numquid trivialia solum, et superficialia, ac veritates per se notæ, vel discursu facili provenientes sapientiæ labore erudendæ sunt? Certe de necessitate specierum pro parienda notitia ab objecto, et potentia, pro objecto trahendo ad cognoscentem, pro assimilatione cognoscentis ad cognitum, pro formanda similitudine expressa, pro ideis, et aliis similibus, quæ in intellectu, et in sensibus experimur, ita est concursus, et fundata philosophorum atque theologorum sententia pro omnipotentia cognoscente tam intellectu separato, quam corpori conjuncto, ut id negare prorsus meridianæ luci sit obsistere ut ex insinuatibus hic, et tractatis citato loco de anima constat. Quare D. Thomas solum fuit sollicitus in præsentia quæstione LIV, art. I ostendere quod essentia Angeli non est sufficiens repræsentare alia a se perfecte, et ita indiget speciebus superadditis. Hoc autem sufficienter ostendit D. Thomas ex eo quod essentia Angeli cum fit determinata ad certum genus, et speciem, non

potest continere perfecte omnia alia genera, et species, sicut continet essentia divina per modum causæ, et principii, a quo derivantur omnes aliæ res; et ideo est infinita in essentia sua, nec limitata ad certum genus, et speciem, quia omnium generum, et specierum causa est quoad omnia quæ in talibus speciebus, et generibus continentur; et ideo sola essentia divina potest esse medium cognoscendi perfecte omnia alia extra se, et quia summe intelligibilis est, sicut deservit sibi ipsi pro specie, ita etiam mediate, et secundario repræsentat ea quæ continentur, et derivantur ab essentia divina. Unde cum Angeli per suam substantiam non possint perfecte assimilari omnibus aliis rebus extra se, quia neque eas continent, neque causant, neque sunt ejusdem speciei cum omnibus illis, inde fit, quod in se substantia Angeli non sit sufficiens similitudo ad cognoscendum perfecte alia extra se, sed solum secundum quid, prout substantia Angeli magis vel minus convenit, et assimilatur vel dissimilatur rei cognoscendæ : ergo si perfecte cognoscit res alias extra se, indiget aliquo superaddito substantiæ, et intellectui suo, per quod habeat perfectam similitudinem rei cognoscendæ.

V. Ad fundamentum insinuatam pro sententia Durandi, et Gabrielis, respondetur similitudinem repræsentativam non requirere convenientiam univocam et substantialem in natura cum re repræsentata, sed solum similitudinem accidentalem, et intentionalem, sicut una imago repræsentat suum prototypum. Quod autem dicitur sufficere objectum esse propositum ad extra, ut attingatur a potentia cognoscente, manifeste convincitur esse falsum, quia si sufficit esse existens in rerum natura, restat tunc assi-

non existentes ut præteritæ, et futuræ formando immediatam cognitionem de illis, et non in alio prius cognito, sicut quando immediate recordamur Petri mortui, nisi ponendo species? Si dicatur sufficere quod aliquid sit intelligibile, seu possibile, etiamsi existens non sit, sequitur quod Angelus intelligeret omnia possible, quia omnia sunt intelligibilia ex se. Si vero dicatur requiri quod sint in aliqua distantia proportionata ut cognoscantur ab intellectu, manifeste falsum est, cum possit Angelus intelligere abstrahendo a loco, et tempore, sicut sunt universalis, et possunt non solum res indistantes, sed etiam absentes, imo non existentes intelligere. Ac denique quidquid sit de omnibus istis, requiritur tamen ad intelligendum quod objectum trahatur intus ad ipsum intellectum, sibi in intime præsentetur, ita ut ab ipso intellectu, et objecto pariatur notitia, quod cum non possit fieri per ipsam entitatem objecti ad extra, necesse est quod fiat per aliquam similitudinem quæ gerat vices ipsius objecti in se.

VI. Quod si instes: Quid sit ista similitudo, quæ non fundatur in convenientia naturæ, sed solum in repræsentatione objecti: nam etsi manifestum sit imaginem externam repræsentare suum prototypum, hoc tamen ideo est, quia illa imago exterior repræsentat sola accidentia rei repræsentatæ; et ideo convenit cum illis entitative: at vero species intelligibilis non solum repræsentat exteriora accidentia, sed etiam interiorem substantiam; et sic oportet quod habeat convenientiam cum substantia, et natura rei repræsentatæ, si est similitudo illius. Et si dicatur quod est similitudo repræsentativa, inquirimus quid sit hoc quod dicitur repræsentativa? Si enim me-

dante similitudine repræsentat, prius præsupponitur similitudo cum natura quam fundetur repræsentatio, et talis convenientia inter speciem, et naturam non invenitur, vel si est aliqua alia similitudo, explicetur quid sit esse repræsentativam, aut quid addat supra similitudinem entitativam hoc quod dico repræsentativam, ita quod non exigatur convenientia in natura, et entitate, respondetur similitudinem intentionalem non dici accidentalem, quia solum repræsentat accidentia, sicut imago exterior, cum etiam ipsa substantia, et quidditas magis intima ab intellectu penetretur, eique repræsentetur, atque adeo speciem ad id requirât. Dicitur ergo intentionalis similitudo quatenus ad hoc est instituta a natura illa entitas, quam vocamus speciem, ut loco objecti subrogetur in intellectu, et ejus proprium munus, sit vices objecti gerere. Et quia vices objecti gerit sine conditionibus materialibus, sed pure cognoscibiliter, aut spiritualiter, seu in alio modo quam in sua entitate res invenitur, ideo illa similitudo dicitur intentionalis et repræsentativa, non vero similitudo entitativa, et univoca in eadem entitate, et natura, sicut duo homines, aut duo lapides, quia ejus munus est naturam repræsentare, id est, præsentem, et conjunctam reddere intellectui, seu potentiæ sine hoc quod habeat eandem entitatem, seu eundem modum essendi, quem res habet in propria natura, vel in propria materia. Qualitas ergo habens hoc munus, et officium, quod est rem præsentem, seu conjunctam reddere potentiæ in alio esse, seu modo essendi, quam in propria entitate, scilicet intelligibili modo, seu ad cognoscendum tantum ordinato, et a conditionibus materiæ segregato, hoc vocatur signare, quomodo cognoscantur res

similitudo repræsentationis, non similitudo, et convenientia entitativa in eadem natura.

VII. Ad instantiam p. Vasquez respondetur species Angelis superadditas non esse acquisitas, sed a Deo infusas, non supernaturaliter, sed connaturaliter, quia naturali modo repræsentant, et de rebus naturalibus sunt, et naturali virtuti intellectus debitæ, et proportionatæ, sicut etiam debetur concursus causæ primæ ipsi Angelo, et aliis causis debetur concursus aliarum causarum superiorum, qui quidem non est propria passio inferioris causæ, nec ab ea dimanat, sed a superiori, et tamen debetur ipsi ex colligatione, et subordinatione causarum inter se. Itaque potest esse aliquid debitum alicui naturæ, et tamen non oriri ex principiis propriis, sed ab extra, fietque illi violentia, si negetur talis forma, vel concursus, si quidem etiam respectu passivi principii potest violentia dari, ut diximus in physica quæstione nona. Et anima rationalis debetur corpori organizato, et disposito, ita ut esset miraculum illi non infundi, et tamen non oritur ex propriis principiis, sed ab extra venit et motus debetur cælo, licet a motore extrinseco proveniat. Sic omni intellectui debetur concursus ex parte objecti ad intelligendum, qui fit per repræsentationes, et species, sicut materiæ debetur forma ad componendum rem naturalem; sed est hæc differentia, quod intellectus infimus, id est, anima nostra formatur, et movetur immediate ab objectis ipsis corporalibus mediantibus sensibus; et ideo unitur connaturaliter corpori ad species accipiendas. Spiritus vero separati, quia perfectiores sunt, non accipiunt perfectionem suam, et repræsentationem objectorum ab ipsis objectis corporalibus, sed ab eorum radice, et

principio quod est Deus, et ab ideis divinis, quia cum sint perfecti spiritus, et perfecte segregati ab omni corpore non convertuntur pro intelligentia accipienda ad ipsa corpora, sed ad spiritum factorem corporum, qui est Deus, a cujus ideis accipiunt similitudines ad intelligendum superiori modo, quam nos ab ipsis objectis, ut sequenti dubio dicemus. Atque ita sunt eis debitæ istæ species passive ut ab alio, non active ut a se.

VIII. Objicies tamen ad probandum quod essentia Angeli sufficit per se ad repræsentandum res alias. Nam Angelus per seipsum est imago Dei creata, et inter creatas perfectissima, juxta illud Ezech. xxviii: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia et perfectus decore*: ergo in se habet sufficiens principium ad cognoscendum Deum multo melius quam per alias res; et ita pro acquirenda cognitione Dei non requirit aliarum rerum species. Multo minus pro aliis rebus creatis cognoscendis, quia habet majorem convenientiam et habitudinem cum ipsis: nam respectu aliorum Angelorum habet convenientiam valde propinquam, cum sint omnes ejusdem spiritualis naturæ, cum rebus autem corporalibus habet convenientiam eminentialem, et superiorem, cum corpora naturaliter sint subjecta Angelo, eique obedient, magisque influat in illa, quam cælum, si quidem ex motu quem Angelus cælo imprimit, hæc inferiora immutantur, et generantur, sed qui comprehenderet cælum, vel solem, ut motum ab Angelo, cognosceret per speciem solis hæc inferiora: ergo qui comprehendit Angelum moventem solem, etiam comprehendet hæc inferiora: Angelus autem movens solem comprehendit se per suam essentiam, non per superadditam speciem, et quilibet An-